

que ad bilis abundantiam facientia quando conspirant, non convenire venæ sectionem, neque ipsum *Galenum librô 6. epidem. comm. 4. t. 44.* admittere affirmant. *Sin minus & non exquisita ardens fiat*, temperamentô sanguineô ob conversionem tenuioris partis sanguinis in bilem, sanguinem mittendum suadent ex *librô 2. de different. febrium cap. 9.* Ejusdem sententiæ est *Hercules Saxonia librô 8. pract. de febribus cap. 33.*

*Hieronimus Mercurialis librô 5. pract. de febribus cap. 10.* in ardente, ex mente *Avicenna & Averrhois inquit*, aut multus aut paucus sanguis potest esse bili conjunctus. In *priori casu*, qui ex urinâ turbidâ & rubrâ cognoscitur, licet sanguinem mittere; in *posteriori*, qui ex tenui, flavâ & claritatem aliquam habente urinâ indicatur, à V. S. abstinendum est, ne frenum bili auferatur.

*Horatius Augenius tomô 2. de curat. per sanguinis missionem, libr. 4.* in exquisitissimo causô incisionem venæ semper admittit. Sanguinis effervescentis adest plenitudo, acutissimam progenerans febrim, ideoque saluberrimum est sanguinem detrahere, etiam ad animi deliquium. Calor etiam maximè exurens, qui à plenitudine biliosi sanguinis effervescentis originem trahit, evacuationem quoque intimat, *libr. 7. cap. 13.* Non autem simili procedendum modô esse addit, cum flava bilis excrementitia causum effecerit, vel venulis æstivâ tempore arefactis & humiditates biliosas ad se trahentibus. Colligitur itaque ex his, V. S. minimè convenire in ardente à bile flavâ excrementitiâ; maximè verò proficuum esse in febre à bile flavâ alimentali ortum trahente.

*Verùm* hisce omnibus non obstantibus generosum & vitæ humanæ maximè proficuum & præsentaneum auxilium in omnî ardente fore venæ sectionem omninò censemus, modò conditiones ab *Hippocrate* acutis febribus præfixæ adsint, nullaque pestifera se admisceat malignitas. Ita unâ eademque operâ & pars materiæ peccantis auferatur, sanguis effervesfactus ventilatur, refrigeratur, & à nobilioribus partibus revellitur. Bilis sola non peccat excrementitia hæc in febre, sed simul sanguis calidus & siccus, qui sanè magnam indicantis vim hîc obtinet.

Pro-